



21

*Q. D. B. V.*  
 DISSERTATIO  
 DE  
**ERRORIBUS**  
**SOCINIANORUM**  
 contra  
**THEOLOGIAM NATURALEM,**

Quam  
 RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFI-  
 CENTISSIMO,

SERENISSIMO JUVENTUTIS PRINCIPE

AC  
 DUCATUS ISNACENSIS HÆREDE,  
 DOMINO

**GUILIELMO HENRICO,**

DUCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM,  
 ANGARIÆ GUESTPHALIÆQUE &c. &c.

ac  
 PRÆSIDE

**JOH. JACOBO Gungershausen/**

P.P. & D.

*publicæ eruditorum disquisitioni*  
 IN INCLYTA SALANA

T 154

*exponet*  
 RESPONDENS

**JOH. CHRISTOPHORUS Semmer / Honratho- Montanus.**

d. 22. Sept. Anno 1703.

JENÆ, LITERIS WERTHERIANIS.



V I R O

*Perillustri, Generosissimo, ac virtute bellica summè conspicuo*

DN. JOH. LUDOVICO de HAMMERSTEIN, Lib. Baroni,  
 Domino Hæreditario in Honrath, Domino in Delge/ &c. sub Illustissimo Principe  
*de Nassau, Vicario Frisie, Præfecto vigillum fortissimo, Patrono*  
 suo Gratiofo.

utet V I R I S

*Plurimum & perquam Reverendis, Præclarissimis, Doctissimis ac Humanissimis,*

DN. JOH. ANTHON. WIRTH, Ecclesiæ Odenspiel. Pastori  
 Primario meritissimo, & Ecclesiarum superioris Ducatus Montensis invariata  
 Aug. Conf. addictarum Inspectori gravissimo, Patrono omni  
 tempore venerando, colendo,

DN. JOH. ENGELBERTO LEMMERO, Pastori Primario  
 apud Meinertzhagenses vigilantissimo, Agnato ac Fautori suo multis  
 nominibus devenerando,

DN. JOH. WENEMARO LEMMERO, Eccles. Honrathensis  
 Pastori fidelissimo, Parenti suo filiali semper amore & honore  
 prosequendo,

DN. ARNOLDO WÜSTHOFF, Ecclesiæ inv. Aug. Confess.  
 addictæ, quæ est Mühlhemii ad Rhenum, Pastori ut versatissimo, sic & de eadem  
 eximie merito, Benefactori suo maxime observando, honorando,

DN. GEORG. BERTRAMO BLECH, Pastori Ecclesiæ inv.  
 Aug. Conf. addictæ Selschedensis dignissimo, Amico & Fautori suo  
 æstimatissimo,

DN. JOH. HENRICO BECKER, Pastori apud Walschedenses  
 bene merito, Agnato suo debite observando.

DN. BERNHARDO GEORG. SCHEIBLERO, Ecclesiæ  
 Volbergensis Pastori solertissimo, Agnato & Fautori suo summè suspiciendo,

DN. JOH. HENRICO WITTHENIO, Perillustri ac maxime  
 strenui Lib. Baronis de Heyden/ Domini in Hoffstatt & Satrapæ in Wetter/  
 Quæstori fidelissimo, Agnato suo singulariter colendo

*Hoc, quicquid est, dat, dicat, dedicat*

RESPONDENS.



I. N. J.

§. I.

**S**ocinianos rationi suæ nimis indulgentes contra rationem sanam sæpius impingere ac nubem pro Junone i. e. rationem corruptam pro recta amplecti hæcenus satisprehenderunt *Nostrates*. Quo pacto equidem contra has vel illas sobriæ Philosophiæ partes sigillatim peccent; ostendere non erat ire per extensum funem: sed in præsentia juvat potissimos eorum contra Theologiam naturalem errores percensere.

§. 2. *Initio* statim circa ipsam vocis *Deus* significationem errant asserentes eam propriè non esse nomen naturæ sed potestatis ac eminentiæ, adeoque non soli Deo, sed omni eminentem potestatem habenti propriè competere, licet supremo Numini primario competat. *Job. Crellius in tract. de Deo & ejus attr. cap. 13.* quod *Deus* non essentiam Divinam notet, probat inde, quod hæc vox sit relata, essentia vero ex rerum absolutarum

A 2

numero;

numero : & si quæ alia subjicit argumenta, quæ in formam redacta curatius speculabimur : 1. Nulla vox relata significat essentiam : vox Deus est relata, ergo non significat essentiam. Majorem probat, quia esse est absolutum quid. Minorem ostendit, quia vox Dei ejusmodi adjectionem amat, qua relatio ad alios significatur, ut cum dicitur: *Deus hujus vel illius.* (2.) Quæcunque vox ad exprimendum servatorem, principem ac eminentem personam adhibetur, illa non est nomen naturæ; atqui vox *Deus* à Latinis adhibetur ita, ergo. Minorem probat: dicunt enim *homo homini Deus*; dicunt & principes Deos; dicunt eminentes inter poetas & oratores *poetarum & oratorum Deos.* (3.) Si Ebræi *יהוה* propriè notat *potentem*, *אלהים* vero *judicem aut vindicem*, sequitur quod & vox *Deus* ejusmodi significatum obtineat, verum est prius, ergo & posterius. Consequentiam probat, quia Ebræis illis vocabulis Græcum *θεός* & Latinum *Deus* respondet. Prius probat enumerando loca scripturæ ubi ista significatio obtineat.

§. 3. Antequàm respondeatur, sciendum quod si nosse velimus, quid propriè notet vox *Deus*, inquirendum sit prius proprius significatus vocis *Deitas*. Nam *Deus* propriè est is, qui habet Deitatem propriè dictam. Jam verò quod *Deitas* propriè notet divinam naturam constat, quia audito nomine *θεός* seu *Deitas* statim sine ullo tropi fundamento, adeoque propriè concipitur divina natura, nec unquam creaturæ hæc vox propriè assignata legitur, bene tamen creatori v. g. Rom. 1. v. 20. Hoc ita probato ulterius sequitur, quod *Deus* propriè notet naturam divinam habentem, sitque nomen naturæ. Hinc facile

facile est responſu ad argumenta : reponimus igitur ad  
*primum* : Minoris probatio nihil efficit, licet enim vox  
 Deus amet adjectionem qua relatio ſignificatur, non ta-  
 men ſequitur: Ergo ipſa vox in ſe eſt relata. Quid ob-  
 ſtat quo minus adjectioni tantum relatio adſcribatur?  
 particulæ ſanè *hujus, illius* adjiciunt relationem voci in ſe  
 abſolutæ v. gr. *homo, gemma* ſunt abſoluta, ſed *homo hu-  
 jus vel illius, gemma hujus vel illius* ſunt relata, ubi parti-  
 culæ hæ, pro re nata, additionem, poſſeſſionem aut  
 quamcunque aliam relationem denotant. Sed eſto vo-  
 cem Deus, nonnihil relationis innuere v. g. poteſtatem  
 in alios, norandum tamen 1. quod, hoc non obſtante,  
 ſimul poſſit notare eſſentiam, ut Deus ſit Ens omnes per-  
 fectiones continens (en abſolutum conceptum) & à quo  
 omnia pendent, en reſpectivum conceptum! 2. Si notat  
 poteſtatem, notat proprie nonniſi omnium ſupremam,  
 cum ejus ſignificet poteſtatem, qui Deitatem habet, quæ ve-  
 ro ſoli ſupremo Numini competit. Ergo non notat propriè  
 omnem, qui poteſtatem eminentem habet. Sic igitur  
 reſpondetur ad majorem quoque, limitando eam h. m. :  
 Nulla vox relata ut relata ſignificat eſſentiam abſolutam  
 &c. Sic concedimus totum argumentum, quod nempe  
 vox *Deus*, quatenus relationem poteſtatis denotat, non  
 abſolutam eſſentiam ſignificet, interim nihil impedit, quo  
 minus alio modo eam denoter. Ad ſecundum reſpond.  
 limitando majorem: Quæcunque vox ad exprimendum  
 ſervatorem, principem ac eminentem perſonam propriè  
 adhibetur, illa non eſt nomen naturæ; Sic limitata ma-  
 jore negatur minor. Nam licet homo homini Deus dicatur,  
 id tamen non magis propriè fit, quàm ſi homo homini

angelus vel lupus dicitur. Fundamentum metaphora  
est in proptulo: Sicut Deus creator creaturas benignè  
servat, ita homo beneficia præstans conservantia suo mo-  
do statum alterius ipsi Deus appellatur. Porro facile  
est inventu tertium comparationis si principes ac emi-  
nentes viri Dii appellantur, quia nempe in Numine su-  
premo principatus & eminentia præ cæteris conspicua  
deprehenditur. Ad tertium Resp. negando prius; hoc  
enim, ut patet ex probatione consequentiæ, intelligen-  
dum est, quatenus אלה & אלהים voci Deus propriè  
sumptæ respondent, hoc verò falsum esse patet ex pro-  
batione ante allata, quâ propriam hujus vocis significatio-  
nem asseruimus: unde si sane hæc vox Latina Ebræis il-  
lis respondeat sub allato significatu, non tamen nisi im-  
propriè istud fieri tenendum est, ubi tertia comparatio-  
nis facillima sunt deprehensu. Præterea adsunt clara  
scripturæ testimonia, quæ אלה & אלהים soli Numini æ-  
terno vindicant v. g. 2. Sam. 22, v. 32. Ef. 44. v. 6.

§. 4. Sunt equidem ex Socinianis, qui nomen  
יהוה creaturis quoque tribui & hinc Latinum *Deus*, E-  
bræo illi respondens, non soli Numini supremo proprium  
asserunt, sed his opponimus ipsum Crellium errare do-  
centem eos, qui putant nomen יהוה non esse summo  
Deo proprium, & ex Gen. 22. 14. Gen. 33. 20. Exod. 17.  
15. &c. id colligunt. Duplicem nimirum errorem cir-  
ca hoc Dei nomen recenset cap. XI. l. c. *Alii*, inquit, *quia*  
*probe animadvertunt, res personasve, de quibus enun-*  
*ciationes ejusmodi usurpantur, à Deo summo longissime*  
*distare, arbitrati sunt nomen Jehovah non esse Dei summi*  
*proprium; Alii contra &c. Utrique errori locum illud*  
*fecit,*



*fecit, quod in quibusdam istarum enunciationum deest copula in scholis ita appellata, nempe verbum est cuius ellipsi nihil frequentius, &c.*

§. 5. *Secundo contra naturalem Dei notitiam eamq, insitam infurgunt Socinus prælect. Theol. c. 2. Smalcus contra Franzium pag. 44. Osorodus instit. l. p. 10. inde cum primis argumentantes, quod usus rationis non sit insitus, unde nec notitiam Dei insitam colligunt, sed committunt fallaciam ignorationis elenchi. Concedimus omninò notitiam Dei actualem, quæ usum rationis supponit, non esse congenitam, imo largimur nec in actu primo strictè dicto, qui supponit species intelligibiles, esse insitam, bene tamen connatam tenemus in actu primo late dicto i. e. in potentia propinqua, qua potest homo citra discursum audita & intellecta propositioni *Deus est* procliviter assentiri; hujusmodi enim notitiam circa principia primum theoreticam tum practica, quæ vero principium hoc *Deus est* certo modo supponunt, connatam constat. Accedit naturalis inclinatio, qua homo in Deum tanquam finem suum fertur, de qua videatur *Mus. in Introduct. c. 2. §. 4.**

§. 6. *Tertio contra naturalem Dei notitiam eamque per probationem acquisitam pugnat Socinus l. c. quem sequitur Osorodus l. c. utut Crelius loco cit. cap. 3. & Smalcus Disp. 1. contra Franzium hinc abeant. Socinus & Osorodus locis cit. thesin suam stabilire satagunt, (1) quod integri in Brasilia populi nullum divinitatis sensum habeant. (2) Socinus afferit loc. cit. quod Aristoteles, acutissimus tamen philosophus, negaverit Dei providen-*

videntiam, mundumque in tempore conditum (3) loc. cit. ait *Socinus* divinitatis opinionem esse ex fide; item *de autor. script. pag. 46.* religionem non esse naturalem, sed patefactionem divinam. Ad *primum* resp. quod sicut à non esse ad non posse non valet consequentia, ita nec sequela procedat à non cognosci naturaliter hic vel illic ad non posse cognosci naturaliter ab ullo. Accedit quod nec consentire videantur historiae, quae vix docuerint dari gentes divinitatis opinionem adeo excutientes ut nequidem aliquod homine superius Numen revereantur. Hinc ipse *Crellius* huic argumento contradicit *lococit. c. 5.* Ad *secundum*: Sicut *Aristoteles* existentiam Dei & primi motoris ex lumine naturae probavit, ita (quicquid sit de ejus sententia circa creationem & providentiam, de qua videatur *Sam. Maref. hydr. Socin. expugn. Tom. 1.*) sufficit, quod alii Theol. nat. scriptores ex principiis naturae providentiam Dei & creationem, quantum par est, demonstraverint. Ad *tertium* resp: Unius rei plures possunt esse causae & unius notitiae de Deo causa potest esse natura & scriptura. Loquimur verò de ea tantum Dei notitia, quae nulla mysteria implicat, hanc enim, quae mysteria prodit, ex sola fide & patefactione esse facile largimur. Ceterum quod attinet ipsius existentiae divinae demonstrationes naturales, quinque harum species feruntur inter eruditos à *Thoma de Aquino* traditae, quas explicat & ab exceptionibus vindicat *Job. Baptista Genet in clypeo Theol. Thomist. part. 1. Disp. 1.*

§. 7. Quarto errant circa doctrinam de attributis, affectibus & actibus Dei immanentibus asserentes quod sint accidentia in Deo & inter se & ab essentia Dei reapse distin-

distincta; *Inter se* quidem, cum *Goslav.* à *Bebelm.* contra *Keckerm.* part. 1. cap. 3. & 5. docet quod velle Dei non sit Dei posse; ab ipsa essentia divina, dum idem *loc. cit.* c. 5. ait, facultates, quæ in Deo resident, & quibus aliquid agit, non esse ipsum Deum, rationem hanc interferens, quia alias Dei posse esset Dei velle & de misericordia, justitia & id genus reliquis qualitatibus prædicaretur vox Dei, at, inquit, non prædicatur, quia nihil nature Dei, quæ Deus, inest bis; patet; quia Dei definitio non competit bis, at quæcumque prædicata essentialiter dicuntur de subiectis suis, illorum definitio bis tribuitur. Vid. *Volkel.* de relig. l. 5. c. 9. *Schlichring.* contra *Meisn.* de arcic. fundam. *Vorstius*, (qui quoad doctrinam de attributis divinis cum Socinianis fere sentit,) in *Notis ad Disput. 3. de Deo. Conf. amica ejus collatio cum Pisc. Sect. 38.* Rationes *Goslavii* in forma speculabimur, 1: si Dei posse non est Dei velle, sequitur quod quæ in Deo resident facultates non sint ipse Deus: Verum est prius, ergo & posterius. Resp. negando prius. Dicat *Goslavius* potest esse sine Dei velle, ergo realiter differre v.g. Deus potest hunc mundum destruere hoc momento, nec tamen vult. Resp. potest esse & velle important, præter essentiam divinam, relationes ad res quas Deus potest & vult. Hic largimur quod posse Dei non sit velle ejus quæ relationes illas, harum enim una potest esse sine altera, sed qua intrinsecam Dei essentiam potest non est sine velle, sicut essentia Dei non est sine se ipsa. Restat igitur quod rectè dicatur: posse Dei est Dei velle materialiter ac identicè, licet non formaliter, i. e. essentia Dei, quæ dicit respectum ad res quas potest efficere, est eadem Dei essentia, quæ

quæ dicit respectum ad res quas vult, licet differant ejus relationes aut connotata. 2. Si nihil naturæ Dei, qua Deus est, inest misericordiæ &c. sequitur quod de Dei misericordia non possit dici Deus, & per consequens misericordia & Deus non sint idem. Antecedens probat: quia Dei definitio non competit misericordiæ. Resp. Quicquid sit de consequentia, antecedens ejusque probatio plane cespitant: Nam si dicit Goslavius definitionem Dei non competere misericordiæ, petit id, quod est in principio. Quid obstat quo minus dicam misericordiam Dei esse Ens independens? Id quod uberius patefcet, si demonstratum fuerit, quod misericordia (idem judicium esto de reliquis attributis, affectibus & actibus Dei immanentibus) sit nihil aliud quam ipsa Dei essentia, spectata cum certo connotato, ut paulo inferius dicitur.

§. 8. Crellius quidem loc. cit. c. 16. hanc disputationem non videtur facere suam, attamen c. 32. decreta Dei esse accidentia in Deo expressè asserit, & ne putes eum accidentia intelligere Metaphysica, ipse se explicat quod intelligat accidens, quod potest ab eo, cui inest, abesse, citans id propter Philosophum, cujus tamen (quod obiter moneo) definitio non habet quod accidens abesse possit ab eo cui inest; sed *l. Categg: c. 2.* ait: *Impossibile est, ut sit sine eo, in quo est.* Ratio, qua probat Crellius, quod decreta sint accidentia à Deo distincta, latet in his verbis l. c. *Sic ergo, inquires, & Deus hoc vel illud decernens erit compositum quippiam ex Deo simpliciter sumpto & decernendi actu? At si in eo quippiam est absurdi, nega Deum esse Creatorem; Nega Patrem nostrum esse, nega pios amare; impios odisse & si quæ sunt similia. Nisi enime*

§ (II) §

*enim dicere velis idem esse, Deum esse & creare, pios amare, impios odisse, cogeris huiusmodi ex Deo & actu creandi, itemque ex eodem Deo & paterno erga nos affectu odioque impiorum compositum agnoscere. Argumentum in forma erit tale: Si decreta Dei non sunt accidentia à Deo distincta, sequitur nec Deum esse Creatorem, patrem nostrum, pios amare, impios odisse &c. Consequentia probatur, quia Deum esse creare, pios amare, & impios odisse non possunt esse idem, quod si vero distincta non dantur in Deo, nec hæc dabuntur. Resp. negando consequentiam ejusque probationem, nam nihil absurdi emergit si dixeris, Deum esse, Deum amare pios & odisse impios esse idem. Nam amare & odisse tanquam actus Dei immanentes sunt ipsa divina essentia, cum diversis saltem connotatis spectata, ut mox patebit. Cæterum licet facile concedamus quod esse Dei non sit idem cum  $\tau\dot{\alpha}$  creare, quodque  $\tau\dot{\alpha}$  creare non sit in Deo tanquam transiens quidpiam, manet tamen quod sit à Deo, quodque Deus omnino creator habendus sit.*

§. 9. Vorstius in *parasc. ad amic. coll. part. 2. c. 4.* non idem sunt, inquit, ipse Deus & decreta Dei, cum hæc illius effecta sint, sive actus quidam liberi, & tamen hæc illi intime conjuncta, sive unita sunt, quia vere in ipso sunt, sicut actiones esse solent in suo agente. Aliqua igitur conjunctio seu compositio, non quidem naturalis sed voluntaria, & latè admodum sumta, in Deo agnoscenda est: nisi & S. literis aperte contradicere, & speciatim liberum arbitrium, seu potius actuale ejusdem exercitium ipsi Deo derogare velimus. Quo nihil absurdius excogitari posse, tute ipse, credo, fateberis. Neque video quid excipere hic possis,

possis, nisi forte cum Scholasticis quibusdam dicere velis (quod vix puto) ejusmodi liberos Dei actus esse tantum, externas denominationes, quæ nihil reale in ipso Deo significant. Sed tùm exponendum tibi erit, non modò quodnam istarum denominationum fundamentum ante secula fuerit? cùm præter Deum nihil esset, in quo illa fundari possent; sed imprimis quomodo sine contradictione statui possit, internas & vitales, ut vocant, Dei actiones, (v. g. velle, amare, odisse &c.) nihil reale in Deo denotare. Quis enim non videat, ejusmodi voluntarios actus, qui ab externis effectibus verè distincti sunt, & quorum vi effecta ista tandem in tempore producantur, non modo nusquam extra Deum existere; sed & in Deo veram aliquam entitatem, ab ipsa tamen Dei essentia diversam propriè ac formaliter significare? Argumentum in forma huc redit: Si decreta Dei sunt Dei effecta & tamen Deo intimè conjuncta, sequitur quod in Deum cadat compositio realis. Verum est prius, ergo & posterius. Resp. limitando consequentiam: Si decreta Dei sunt Dei effecta & tamen Deo intimè conjuncta, quatenus sunt effecta; sic vera est consequentia. Verum ita negatur Antecedens. Nam decreta Dei important duo, (1) realem entitatem in Deo, quæ est ipsa Dei essentia (2) liberam terminationem essentia divina ad res decernendas: ratione posterioris requisiti decreta Dei sunt quidem Dei effecta, sed eatenus non sunt Deo intimè conjuncta, cùm terminatio sit aliquid Deo extrinsecum. Unde si quærit Vorstius, si actus isti liberi denominantur denominatione externa, quodnam istarum denominationum fundamentum ante secula fuerit, ubi præter Deum nihil erat? Resp. fundamentum

mentum fuisse liberam terminationem, quæ, licet ante secula nihil seu nullum ens fuerit præter Deum, tamen reale ac positivum quid erat, cum non penderet à mera cogitatione intellectus, seu cum non esset nudum figmentum: hoc enim late dicitur *reale* in Metaph. quod non fingitur sive habeat realem existentiam sive non. Hinc ulterius patet responsio ad objectam contradictionem, quam oriri putat, si quis dicat *internas Dei actiones esse v. g. velle, amare, odisse, & eas tamen nihil reale notare in Deo*. Nimirum quoad prius requisitum important utique decreta Dei realem entitatem in Deo, sed à Deo non distinctam.

§. 10. Hæc omnia ut melius clarescant ostendendum est, ex quo fundamento statuamus attributa affectus & actus Dei immanentes nec à Deo nec inter se differre. Et quidem si probatum fuerit, quod non differant à Deo, patet quod nec inter se. Quod non à Deo differant, probatur hoc argumento: Si attributa Dei &c. differunt à Deo, sequitur quod Deus non sit Ens simplicissimum: posterius est absurdum, ergo & prius. Consequentia probatur, quia Deus esset compositus ex subiecto & accidente, inam, tanquam Ens perfectissimum, componeretur ex essentia & perfectionibus inhaerentibus, attributis nimirum ab ipso distinctis. Absurditas consequentis patet, quia, si Deus non est Ens simplicissimum, sed compositum, sequitur quod sit dependens, omne enim compositum dependet ex partibus componentibus; quippe ex quibus constat: jam cum Deus sit Ens independens, non potest esse dependens. Crellius equidem non putat simpliciter Dei periri, licet decreta

Dei dicat accidentia in Deo: hinc loco citi. probatum it non dari compositum ex subjecto & accidente. *Ex eo enim, inquit, tantum componitur quippiam, ex quo tanquam parte quadam sive essentiali, sive integrali constat; ac nemo ex suo accidente constat, alias enim idem non amplius foret accidens. Accidens enim inest non ut pars & potest ab eo cui inest abesse, ut habet philosophi definitio.* Argumentum in forma erit tale: Si accidens inest non ut pars, sequitur quod non detur compositum ex subjecto & accidente: verum prius, ergo posterius. Consequentia probatur: Ex quo enim componitur aliquid illud est pars compositi. Antecedens patet, quia alias accidens non esset accidens, hæc enim est natura ac definitio accidentis *inest non ut partem* &c. Resp. limitando Consequentiam: Si accidens inest non ut pars subjecti nec compositi, sequitur quod non detur compositio ex subjecto & accidente: sic limitata consequentia negatur prius; nam licet accidens non inest ut pars subjecti, inest tamen ut pars compositi; compositum enim est unum ex pluribus, & pars compositi est quod cum alio vel aliis facit unum; jam accidens cum subjecto facit unum, ergo est pars compositi. Dicis: Si accidens est pars, non est accidens: Resp. Non requiritur ad accidens ut nullo modo sit pars, sed saltem ne sit pars subjecti, cui inest; alias vix daretur accidens, nam omne accidens certo modo est pars; ita albedo est pars parietis albi, doctrina hominis docti; ita si perfectio à Deo differret, esset pars Dei perfecti.

§. 11. Ex hætenus dictis abundè patet, quò pacto  
pu.



pugnent quinto contra *simplicitatem* Dei, & quo robore retundi debeant?

§. 12. *Sexto contra infinitatem, immensitatem ac omnipresenciam* insurgunt. Vorstius equidem dum rationes pro infinitate afferri solitas eversum it, hoc se non definiendi sed inquirendi animo agere testatur, ignorantiam suam in his talibus ultrò confitens; *Non negamus, inquit, præcise receptam opinionem de infinitate Dei veram esse, sed parùm solide huc usque demonstratam esse dicimus &c.* Verùm licet argumenta pro infinitate non ejusdem roboris fateamur, dum tamen indifferenter omnia destructum it, ipsius molimina quo pacto retundi queant, videbimus. Igitur in *notis ad Disput. 3. p. 216.* Nihil, inquit, potest esse actu infinitum in natura tota, cum omnia entia habeant certam & definitam essentiam, per quam sunt id, quod sunt, & per quam ab aliis differunt. Nam ne materia quidem, etsi potentia dicitur infinita (quia semper alias atque alias formas recipere potest) actu infinita esse potest, nempe quia revera non potest recipere formas infinitas. Nec numerus ullus, nec magnitudo ulla actu infinita est, &c. Ergo nec Deus. Nam actu infinitum esse, & in specie hoc vel illud esse, contradictoria sunt, quia omne quod actu est hoc aliquid, in seipso finitum, & ad certum aliquod genus entis quasi contractum est. Non quod Deus ab alio Deo finitus vel limitatus sit, sed quod à seipso, sive natura sua habeat specificam formam seu differentiam, qua ipsum subjectum necessario restringit, limitat, definit &c. Sed committit Vorstius fallaciam ignorationis elenchi, dum non distinguit inter infinitum & indefinitum: Infinitam i. e. nullo loci vel virtutis vel durationis termino finitam

finitam essentiam Dei dicimus, largimur tamen esse definitam i. e. certam & ab aliis essentiis distinctam. Argumentum ex discursu Vorstii resultans huc redit: Si omnia Entia certam ac definitam habent essentiam, sequitur quod nihil possit esse infinitum in natura, tota; verum prius, ergo posterius. Resp. limitando majorem h. m: Si omnia entia certam ac definitam habent essentiam, sequitur quod nihil possit esse infinitum, sumptum pro indefinito, non vero pro eo quod caret termino loci, durationis & perfectionis. Inter hæc nimirum: *habere distinctam ab aliis essentiam & carere termino loci, durationis & perfectionis*, tantum abest ut detur contradictio, ut potius alterum ab altero includatur. Ens enim carens termino perfectionis est perfectissimum, sicque non habet ens sibi simile, ergo possidet essentiam definitam & ab aliis entibus distinctam.

§. 13. Cæterum nihili sunt, quæ Vorstius monet loc. cit. num. 3: *Ad hæc, inquiens, majestas ipsa postulare videtur ut substantiam suam à rebus hisce terrenis ac sordidis abstractam habeat, que alioqui rebus ipsis immisceri & pars earum effici videbitur.* Et paulo post: *Et licet hæc non sequerentur, an non tamen indignum erit Deo, si dicatur in antro formica aut locis sordidis totà sua essentia adesse? & num. Majestati ejus consentaneum erit dicere, totam essentialiter adesse in minimo pulvisculi granulo? Qui his cogitationibus indulgent non videntur magnificè satis & condignè posse de Deo sentire.* A re certe materiali ac animata, cui materia quædam ingrata ac incongrua fuerit, ad ens immateriale, quod nulla sensibili molestia affici potest, quodque omnia entia vel levissimi momenti creat & conservat, non

non valet consequentia: ubi nullus sensus, ibi nullus affectus à re fordida: ubi perfectissimum immateriale, ibi nihil damni à quocunque materiali: ubi nulla extensio, ibi magnum, parvum aut minimum nihil incommodi præstat, & si totum immateriale ac extensionis expers minimo pulvisculo inesse dicatur, nihil tamen coercitionis hinc metendum, quia hic non adsunt partes extra partes, unde nec hoc respectu totum proprie appellitari potest. Argumentum Vorstii in forma ita habet: Si Deo indignum est locis ffordidis & minimo pulvisculi grano totam ejus essentiam adesse &c. sequitur quod non adsit, & per consequens, quod Deus non sit immensus. Verum est prius, ergo & posterius. Resp. negando prius, ut patet ex antecedentibus.

§. 14. Ejusdem momenti sunt, quæ pag. 217. num. 6. loc. cit. affert: *Potentia Dei etsi respectu nostri & rerum possibilium rectè immensa dicitur, non tamen prorsus infinita est: quia non extenditur ad impossibilia: Imo in ipso Deo consistit intra naturales Dei qualitates. Ergo nec essentia infinita est: quia ut infinita potentia requirit infinitam essentiam, ita finita finitam.* Argumentum in forma: Si potentia Dei non prorsus infinita est, sequitur quod nec essentia; verum prius, ergo posterius. Antecedens probatur, quia potentia Dei non extenditur ad impossibilia, nec nisi intra naturales Dei qualitates consistit. Resp. negando antecedens ejusque probationem: potentia Dei est prorsus infinita, quia nulla re terminatur ac finitur, & licet ad impossibilia se non extendat; tamen illa non sunt res, sed nihil, quod autem nihilo ac nulla re finitur illud est prorsus infinitum. Caterùm si putat Vorstius intra

C

natu-

naturales Dei qualitates consistere omnipotentiam Dei eamque hinc non esse infinitam, errat; nam infinita potentia hoc loco non est, quæ non alicubi consistit, sed quæ alicubi ita consistit ac radices agit, ut tamen ad omne objectum possibile ac reale sese extendat. Dicitur: Impossibile etiam est reale, est enim aliquid impossibile; nemine cogitante; si igitur omnipotentia Dei se non extendit ad impossibile, non se extendit ad omnia realia. Resp. Non datur impossibile citra mentis operationem v. g. non datur lignum ferreum citra mentis operationem: & si dicas, hanc tamen propositionem, *lignum ferreum est impossibile*, esse veram, nemine cogitante, Resp. Sic veritas hujus propositionis seu identitas inter prædicatum & subjectum est reale, non verò ipsum prædicatum & subjectum. Si pergas: Dei potentiam se non extendere ad peccata, quæ tamen sunt realia: Resp. peccata à Deo perpetranda non esse realia, quia sunt impossibilia.

§. 15. Crellius loc. cit. C. 17. putat, se claram & multiplicem contradictionem videre in sententia, statuente, quod Deus sit infinitus, immensus, ac omnipræfens. Primum, ait, Deum infinitum esse, & nihilominus in minimo quovis pulvisculo, aut spacio, quod oculorum etiam nostrorum aciem fugiat, totum consistere, totumque puncti instar esse. Deinde Deum eidem rei simul & æqualem & inæqualem, infinities majorem & minorem esse. Æqualem quia in toto aliquo corpore ita existat, ut nulla sit ejus corporis pars, qua Deo plena non sit; nec vicissim quicquam sit essentia divina, quod in eo corpore non sit. Hoc autem non esse nisi æqualium. Infinities rursus majorem

jorem esse; quia sit infinitus. Infinitum enim quovis finito infinities majus est. Minorem denique, quia in atomo etiam totus consistat, & in minima quavis corporis particula, cujusmodi vel innumera in eodem loco contineri possunt. Addi potest, Deum seipso etiam fore & infinities majorem & minorem, & nihilominus aequalem: quia & totus in re minima existat, & nihilominus ultra rem quavis in infinitum pateat, & sic se ipsum totum infinities in se contineat. aequalem nihilominus sibi ipsi esse; siquidem idem seipso nec majus nec minus eodem tempore esse possit. Ad hæc, Deum respectu ejusdem plane rei, & secundum eandem rei cujusvis partem, totum extra & intra, supra & infra, ante & post, ad dexteram & sinistram esse; imò non tantum respectu sui ipsius: que omnia, cum opposita sint, tacitam contradictionem in se continent. Præterea omnia corpora, licet extra se invicem posita, ac longissime à se mutuo distantia, secundum omnes tamen partes simul juncta esse. Junguntur enim secundum omnes partes Deo indivisibili: ac porro etiam inter se junguntur secundum omnes partes, ubicunque illa res indivisibilis existit. Quæ enim eidem secundum idem junguntur, etiam inter se junguntur. Quæ autem Deo junguntur, secundum idem ei jungi necesse est, non secundum diversa membra seu partes siquidem tota toti junguntur. Quinque hic elicit contradictiorum genera. Prima contradictio: Deum infinitum esse & nihilominus in minimo pulvisculo aut spatio totum consistere, totumque puncti instar esse. Resp. Tunc foret contradictio, si diceretur Deus in infinitum extendi, & in minimo pulvisculo totum circumscriptivè aut definitivè contineri: Sed sicut extensionem Deo non tribuimus, ita

C 2 nec

nec circumscriptivam aut definitivam existentiam ei assignamus, sed dicimus, Deum nullo loco terminari posse, unde patet nec minimo pulvisculo, cui præfens est, terminari. Altera contradictio est: *Deus eidem rei æqualis & inequalis, infinitus major & minor erit &c.* sed hæc sequerentur, si in Deo esset quantitas, æquale enim & inæquale, majus & minus de quantitate tantum proprie dicuntur. Idem sentiendum de tertia contradictione: *Deus seipso infinitus major & minor & nihilominus æqualis est.* Quarta est: *Deum respectu ejusdem rei & secundum eandem rei cujusvis partem, totum extra & intra, supra & infra, ante & post, ad dextram & sinistram esse; Imo non tantum respectu aliarum rerum, sed & respectu sui ipsius.* Verùm illa tunc contradictionem importarent, si Deus proprie totus appellari posset, sed ubi nulla pars, ibi nec totum; jam summa Dei simplicitas omnem partem distinctam refugit, unde intra & extra &c. eandem rem simul est sine contradictione, nam *ad extra esse hoc modo non excludit ad intra esse*: quod si equidem eodem respectu intra & non intra esse diceretur Deus, non neganda foret contradictio. Cæterùm quando putat, sequi simul, Deum esse extra seipsum, negamus sequelam, cum essentia Dei intra existens non coerceatur, sed simul sit extra. Quinta contradictio huc redit: *omnia corpora licet longissimè à se distantia simul juncta erunt, &c.* Resp. hæc valeret contradictio, si dissita corpora jungerentur secundum idem in uno tantum loco existens (loquitur enim de corporum conjunctione locali, sicut de longissime dissitis corporibus atque adeo de locali quoque disjunctione sermo est) id quod de Deo dici nequit.

§. 16. Ut autem infinitas Dei & quæ hinc sequuntur pateat, tantum abest ut repugnet Deum esse infinitum, ut potius repugnet independens ac perfectissimum ens non esse infinitum: quod enim finitum est, dependet à finiente, & caret perfectione, qua quid est ubique: Si namque esse alicubi est perfectio, sequitur quod quo quid est in pluribus ubi, eo majori gaudeat perfectione, quod igitur non est in omnibus ubi, illud non omnes habet perfectiones, sed terminum perfectionis alicujus patitur, & sic non est perfectissimum.

§. 17. *Septimo*: Quò pacto potentiam prorsus infinitam neget Vorstius ante monitum est.

§. 18. *Octavo*: Aternitatem male explicant, dum successionem in ea ponunt, negantes definitionem Boëthii, quod sit *interminabilis tota simul & perfecta possessio*. Crellius l. c. c. 18. p. 127. ita insurgit: *Præterquam quod vita ad aternitatis essentiam constituendam non pertinet, si vita illa interminabilis est seu infinita, quomodo ejus possessio tota simul est? Interminabilis enim vita ea demum est, quæ semper durat. Sempiterna autem duratio, quomodo tota eodem momento consistere potest? siquidem omnis duratio partes habet, quarum alia succedat alteri, alia prior sit, alia posterior. Si potest tota aternitas in uno momento tota consistere; ponatur Deus momento extitisse ac periisse: num tamen eum interminabilem habuisse vitam, num aeternum fuisse dixeris? Eademne vita & momentanea esse potest & aeterna? Deinde quo pacto potest indivisibile completi spacia in innumeras partes divisibilia? Aternitas Dei complectitur omnia, quæ unquam fuerunt aut futura sunt tempora. Nihil enim eam antecessit nihil sequetur.*

tur: sed quacunque ab initio mundi fluxerunt, & ad ejus finem fluent secula, intra ejus ambitum continentur. Quomodo ergo indivisibilis est? Quomodo in punctum momentumve collecta? Quis queso dixerit, punctum aliquod, aut id quod puncti sit instar, amplecti totum hunc mundum? Indivisibile quodvis quodvis divisibili minus est. Majus autem minoris amplexu contineri non potest. Certe hoc patet non vita nostra respectu aternitatis divina puncti instar esset, sed aternitas Dei respectu vite nostra. Præterea se aternitas Dei quodvis momento tota existit, quicquid est, aternum erit. Quicquid enim cum tota aternitate unâ existit id aternum esse necesse est. At istâ sententiâ posita etiam ea, quæ momento existunt, unâ existent cum tota aternitate. Quin etiam ipsa temporum intervalla & res omnes, licet longissimis spatiis à se invicem disjunctæ, hac ratione simul existerunt atque existunt; Et initium mundi v. g. cum ejus fine connectetur. Omnia enim in illo aternitatis divina, ut ita dicam, momento inter se cœunt: non aliud hac, aliud illa aternitatis parte exiitit, vel existet. Quæ verò eodem momento existunt, certè simul existunt, quemadmodum etiam ea, quæ eodem tempore toto existunt. Alia est eorum ratio, quæ eodem quidem temporis spacio, sed diversis ejus temporis partibus existunt; ut si eodem seculo existant, at non eodem anno; Aut eodem quidem anno, sed non eodem mense die, hora, momento. Quodsi aternitas Dei nullas habet partes, nihilque in ea prius est, nihil posterius; certe cum omnia in ea fiant, omnia eodem momento fient; & quicquid Deus semel fecit, aut facturum est, aternum fecit, facturumque est. Condidit semel mundum hunc & ex nihilo produxit: eundem ergo adhuc condit & existentem



tem licet, ex nihilo producit; quin etiam tūc eum con-  
 struet, cū destruct, & quia destructurus est aliquando  
 mundum, destruxit jam tūc, cū condidit. Nam si dicas  
 eum antea non condidisse mundum postea condidisse, nunc  
 non amplius condere, aut conditurum; partes dabis dura-  
 tionis divine, alias antecedentes, alias consequentes, in-  
 quarum alia hoc faciat, in alia illud. Idem de ceteris omni-  
 bus Dei actionibus intelligendum est. Omnes licet inter se  
 pugnantes jungende erunt: traditio Christi in mortem,  
 cum ejus resurrectione; assumptio in cælum, cum ejus  
 à cælo missione: Irascetur nobis Deus, cū maximè pro-  
 prius est; & propitius erit, cū vel maximè irascitur.

§ 19. Sex repugnantium genera h. l. elicit Crell-  
 lius ex sententia Scholasticorum, quæ breviter examina-  
 bimus: Postquam vitam ad æternitatis essentiam non  
 pertinere sine ratione dixerat (cū Dei æternitas notet  
 essentiam ac actuum interiorum Dei adeoque vitæ perma-  
 nentiam) primū repugnans affert, æternitatem esse sem-  
 per durantem, cū sit vita interminabilis, & non semper  
 durantem, cū sine partibus successivis adeoque sine ra-  
 tione tota simul existat. Resp. Hic Crellius nititur falso  
 principio, quod omnis duratio habeat partes successivas,  
 nam cū duratio sit existentia permanens (durare enim  
 est permanentem existere) & vero detur existentia immu-  
 tabilis ac omnis successionis expers; patet quod etiam  
 detur duratio successionem carens, atque hæc est ipsa Dei  
 duratio. Secundum: Deum momento existisse ac perisse;  
 si tota æternitas in uno momento consistere potest: Item;  
 eandem vitam momentaneam esse posse & æternam. Resp.  
 Si dicitur tota æternitas in una momento consistere, sensus

fus duplex esse potest: 1. totam æternitatem ita existere, ut  
 desinente momento æternitas desinat. 2. non dari partes  
 æternitatis quarum altera hoc, altera illo momento exi-  
 stat, sed totam æternitatem sine successione partium coë-  
 xistere uni momento, totam alteri & sic reliquis in infi-  
 nitum. Ex priori sensu, qui non est noster, sequitur, Deum  
 momento extitisse ac periisse, sed ex posteriori, quem nos  
 tenemus, sequitur oppositum. Atq; sic intelligitur, quo pacto  
 vita eadem momentanea (i. e. sine successione partium uni  
 momento tota coexistere) & tamen æterna esse (i. e. infinitis  
 momentis sine termino coexistere) possit. *Tertium: æter-  
 nitatem esse divisibilem & indivisibilem: illud, cum uno mo-  
 mento tota existat; hoc, cum divisibilia multa secula conti-  
 neat: item esse majorem seculis mundi, quæ continet, & mi-  
 norem, cum divisibile, nempe secula, sit majus indivisibili,  
 nempe æternitate. Item: vitam nostram respectu æter-  
 nitatis esse punctum, ut ipsi asserimus, & non esse, cum  
 æternitas respectu vitæ nostræ sit punctum.* Resp. ad 1.  
 Ex antecedentibus patet, quo pacto æternitas sit indivi-  
 sibilis; hæc jam indivisibilitas non obstat, quò minus  
 infinitis seculis coexistat. Resp. ad 2. æternitas est ma-  
 jor seculis mundi, sed non simul est minor, licet sit indivi-  
 sibilis, nam indivisibile coexistens infinitis momentis  
 non est minus divisibili finitis momentis constante. 3. vi-  
 ta nostra respectu æternitatis est punctum physicum, quod  
 non invenitur sine latitudine: æternitas vero est punctum  
 mathematicum (i. e. indivisibile in partes successivas) quod  
 infinitis punctis physicis coexistere potest. *Quartum:  
 temporalia esse talia & non esse talia, esse talia, per na-  
 turam suam; non esse talia, quia cum tota æternitate,*  
 unà

unā existunt, adeoque sunt aeterna. Resp. Temporalia non sunt aeterna, licet unā existant cum tota aeternitate. Nam unā cum tota aeternitate existere habet duplicem sensum 1. existere tam diu quam diu aeternitas interminabilis 2. existere tunc quando existit aeternitas tota, i. e. spectata quatenus caret successivis partibus. Jam si quid priori sensu, qui non est noster, una cum tota aeternitate existit, aeternum recte dicitur; non verò si posteriori: nam toti aeternitati posteriori sensu sumptæ singula momenta coexistunt. Sic etiam pessum it alterum quod ex priori elicit, quod initium & finis mundi imo omnia simul sint: quia omnia in eodem aeternitatis momento coeunt. Respondetur nimirum, quæ coeunt in eodem momento fluente, i. e. alia momenta post se habente, illa simul sunt, non verò, quæ coeunt in eodem momento permanente: jam momentum fluens non est in aeternitate, aeternitas enim est ipsa Dei essentia, in qua non est fluxus; ergo in ejusmodi momento non omnia coeunt, bene tamen in momento permanente, quod est ipsa aeternitas, indivisibilis quidem, sed simul interminabilis, seu ipsa immutabilis ac interminabilis Dei essentia, cui omnia mundana coexistunt, quæ tamen non simul sunt. Atque sic etiam cadit *Quintum*, si colligit: *Quodsi aeternitas nullas habet partes, nihilque in ea prius, nihil posterius, cum omnia in ea fiant, omnia eodem momento fient &c.* Resp. fiunt omnia eodem momento, non fluente, sed permanente, hinc vero non sequitur, quod Deus semel fecit aut facturus est, id eum æternum fecisse &c. Hæc sequerentur, si omnia eodem momento fluente fierent non verò si de permanente sermo est, i. e. non sequitur: si omnia fiunt momento aeternitatis (seu quando est aeternitas indivisibilis in partes successivas, momentis tamen successivis seu fluentibus coexistens) omnia fiunt simul, nam illud momentum aeternitatis internum non excludit momenta externa successiva, quibus coexistit, & in quorum diversitate fiunt, quæ fiunt. Sic quoque patet responsio ad *Sexum*, quod *duratio divina habeat partes* (si dicamus Deum antea non condidisse mundum, postea condidisse, nunc non amplius condere aut conditurum, adesse enim alias partes

partes antecedentes, alias consequentes, in quarum alia hoc faciat, alia illud) & non habeat, cum sit indivisibilis. Nimirum concedimus totum: duratio divina habet partes & non habet, diverso respectu: habet partes externas (si ita loqui velimus) nempe diversa momenta fluentia quibus coexistit, & in quibus sunt actus Dei transeuntes, ut est *condere mundum*; non verò habet internas, quo respectu non dantur antecedentia & consequentia in duratione Dei. Dicis: Dantur etiam actus immanentes, quibus competit prius aut posterius v. g. Deus voluit aliquid quod jam non vult, v. g. ante mundum conditum voluit condere mundum, quem jam non vult. Resp. *condere* quatenus notat entitatem in Deo estque ipsa Dei essentia, non habet prius & posterius, sed prius & posterius oritur ex connotato voluntatis extrinseco, nempe ex terminatione essentiae Divinae ad objectum volitum, quae quando adest, Deus dicitur velle; si abest, non velle: cum verò hæc terminatio sit extra Deum, hinc nihil prius & posterius Deo intrinsecum probatur. Vide supra §. 9.

§. 20. Ex his dictis facile refelluntur, quae Vorstius l. c. à Bebelno l. c. C. 8. Zwickerus in irenico irenicorum &c. contra Dei æternitatem proferunt.

§. 21. Nono: Omniscentiam Dei impugnant asserentes, Deum non cognoscere determinatè futura contingentia. Crellius l. c. cap. 24. ultro citroque contra veram sententiam disputans tandem reducit rem omnem ad duo contradictoria, quæ ex nostra sententia elicit; Prius est; *idem simul fore & possibile & impossibile*. Respondetur: Contingentia determinate futura important duplicem conceptum (1) genericum, quo sunt contingentia (2) specificum, quo sunt determinate futura: ratione generici sunt possible i. e. indifferentia ad esse & non esse; ratione conceptus specifici sunt impossible ad non esse, i. e. non possunt non esse, nam entia, qua sunt, non possunt non esse. Ita v. g. animal in se est indifferens ad hominem & brutum, sed respectu rationalitatis non potest competere nisi homini. Nulla igitur hic emergit contradictio, cum non fiat eodem respectu. Sed rem suam probat Crellius: Nam, ait, si ab-

*solutè*

salutè contingens est, potest aliquid & fieri & non fieri, & sic utrumvis contradictoriorum verum esse. At si futurorum contingentium determinata est veritas semperque fuit; non potest utrumvis contradictoriorum verum esse aut fieri. Respondetur: Potest utrumvis contradictoriorum verum esse circa ea quæ (non verò quatenus) sunt determinate futura contingentia, nam licet ut revera futura non possint esse non futura, tamen si spectentur in se & antequàm fiant, possunt fieri & non fieri. Dicis: sed futura contingentia, ut determinatè futura non erunt contingentia, cùm sic spectata non possint non esse, seu necessario sint. Resp. sunt utique contingentia, nam ista necessitas est hypothetica, quæ stare potest cum contingentia absoluta, vi cuius aliquid in se potest fieri & non fieri, licet posita hypothesi quod revera fiat, non possit non fieri. Etenim, pergit Crellius, si determinatè verum est rem non futuram, verum esse non potest rem futuram, alias id quod determinatè verum est, posset fieri falsum, & contra falsum posset fieri verum. In exemplo res fiet manifesta: Si ab æterno determinatè verum fuit Adamum esse lapsurum, fieri non potuit ut non laberetur; ac proinde id contingens amplius non fuit vel potius nunquam fuit, sed necessarium. Resp. concedimus: quatenus revera erat lapsurus, non potuit simul esse non lapsurus; is tamen, qui revera erat lapsurus, potuit esse non lapsurus, quia liberè labebatur, ac proinde lapsus contingens omninò fuit ac simul necessarius, sed necessitate hypothetica, quam non tollere contingentiam jam ante dictum est. Sed pergit: Nam si dicere velis potuisse eum nihilominus non labi, etiamsi determinate verum esset Deum lapsurum; ponamus id, quod possibile dicit fuisse in actu, h. e. Adamum stante veritate determinata ejus rei quod lapsurus reipsa fuerit, non fuisse tamen reipsa lapsum; nonne inde sequeretur, id, quod, determinate verum fuerit falsum esse, & quod determinatè falsum fuit, verum extitisse h. e. contradictoria simul esse vera? Resp. Adam, quatenus determinatè lapsurus erat, non potuit simul esse non lapsurus, ergo nec potest poni id, quod possibile me dicere putat Crellius, fuisse in actu; hoc enim non dico possibile; sed dico Adamum spectatum ante statum lapsus potuisse non labi, seu potuisse

potuisse lapsum revera subsecutum omittere, cum lapsus hic in se non fuerit naturæ necessariæ. Regeris: si lapsus determinatè futurus est, non potest ante lapsum adesse potentia non labendi, illa enim potentia tunc actuali lapsus istius omissione non potest sese exercere. Resp. Adest in Adamo revera lapsuro ante susceptum actum potentia determinandi sese ad actus commissionem & omissionem, ita ut utraque sese exercere possit, sed non simul, verum alternatim, ut altera se determinate exerente, altera cesset & vice versa.

§. 22. Ut res plenius dispalescat, subjiciemus probationem theos nostræ: Si duo contradictoria non possunt esse simul vera ac falsa; alterum determinate erit verum, alterum falsum: jam inter contingentia futura dantur duo contradictoria v.g. *Judas prodet Christum, Judas non prodet Christum*, ergo alterum determinatè verum, alterum falsum erit. Igitur dantur contingentia determinatè futura; jam cum hæc determinate futura, ut contingentia, in se possint omitti, sicut ex adverso necessaria in se non possunt omitti; patet quod stantibus his contingenter futuris detur possibilitas ad non futurum: non quidem ad simul non futurum, ubi oppositum est futurum; sed ad non futurum, posito per possibile, si oppositum, quod in se potuit, omitti fuisset omissum, quæ possibilitas circa necessaria futura non datur; hic enim non licet dicere, quod possint non fieri, posito per possibile si oppositum cessaret, nam cum sint necessaria non nisi per impossibile debet poni quod cessent v. g. si Judas revera, liberè tamen, prodet Christum, potest sane in se proditio omitti, i. e. illa verè futura proditio non est in se necessaria; si vero revera ac necessariò prodet, illa proditio in se non potest omitti, ergo tunc non nisi per impossibile debet poni quod omitatur proditio. Atque sic patet quod determinatè futura contingentia mancant talia diversamque à necessariis habeant naturam.

§. 23. Tandem ait Crellius l. c. *Ex quibus etiam alterum impossibile facile ostendi potest, quod ex determinata illa contingentium futurorum veritate consequi diximus. Id autem est fieri posse, ut Deus non semel sed infinities etiam errer ac fallatur. Nam si alterum futurorum contingentium determinatè verum est, ac porro ab omni*

Atter-

aternitate determinate cognoscitur; & nihilominus tamen contingens est; fieri poterit ut aliter eveniat, quam Deus cognoverit. Nisi enim aliter evenire possit, jam contingens non amplius est. Unde etiam contingentia, cum re ipsa fiunt, contingentia esse desinunt. Quodlibet enim dum est, necessarium est, siquidem fieri non potest, ut dum est, simul non sit. Alias contradictoria simul essent vera. Quare cum ista impossibilia sequantur; necesse est vel negare, ullum esse in rerum natura absolute contingens, sed omnia necessarium fieri; vel fateri, illa determinate cognosci, quam diu sint futura contingentia, non posse, quod posterius nos volumus. Resp. breviter: Posita determinata veritate futurorum contingentium fieri non potest ut aliter eveniant ac Deus cognovit, & sic futura contingentia possunt etiam dici necessaria, sed necessitate hypothetica, quæ stat cum contingentia. Sc. contingentia sunt, quæ spectata in se possunt fieri & non fieri, licet spectata quatenus fiunt non possint non fieri: sed necessaria sunt, quæ in se quoque spectata non possunt non fieri: sic nec necesse est, negare contingens, nec fateri quod determinate cognosci nequeant futura contingentia, manent enim contingentia & tamen determinate futura.

§. 24. Decimo justitiam vindicativam Deo naturalem ac necessariam esse negant. Crellius (præter quem videatur Catech. Raccov. pag. 266. Socin. 1. de Serv. Christ.) l. c. cap. 28. magnam, inquit, summa atque inexhausta benignitati divine faciunt injuriam & præcipuum ejus in nos beneficium, quantum in se est, convellunt, qui contendunt, Deum non nisi plenissima accepta satisfactione ac compensatione nobis peccata remittere; imò nullum peccatum, ne minimum quidem ita præmittere, quin vel in ipso nocente, vel saltem in alio puniat ac vindicet, quod quidem nil aliud est, quam ipsam peccatorum remissionem seu condonationem, ac porro præcipuum benignitatis divine effectum in nos manantem, funditus tollere. & cap. 30. inquit: Atque hic animadverti obiter potest, odium istud & iram divinam nec ipsam Dei essentiam, nec naturalem in Deo qualitatem, quæ nimirum in illo plane necessario ac perpetuo resideat, esse. Siquidem nec ipsa Dei essentia, nec naturalis Dei qualitas ab altera separari

perari potest. Nec quicquam vel essentia divina, vel naturalibus Dei attributis potest esse in ipso contrarium, quod illa perimat, ac secum consistere vetet. At misericordia ira contraria in Deo existit, camque circa idem objectum eodem tempore tollit, quæ ratio evincit, nec odium Dei erga quosvū peccatores naturalem Dei qualitatem esse, siquidem huic quoque contrarius amor in Deo existit: Aliter de amore ipsius recti & pravi odium sentiendum est, id enim ad sanctitatis ipsius naturam constituendam omnino pertinet, & alterum ab altero non modo non extinguitur, sed ex amore recti, pravi odium necessario proficiscitur. Argumentum in forma: Quæcunque doctrina potissimum benignitatis divinæ effectum tollit & asystata in Deo statuit, illa est nulla: atqui illa de justitia Dei vindicativa naturali ac necessaria est talis, ergo &c. Antecedens est bimbembre: prius membrum probat, quia si Deus peccatum necessario punit, peccatum non remittit; alit hæc remissio est potissimum benignitatis divinæ effectus: posterius membrum ostendit, quia misericordia non potest simul stare cum justitia, quippe quæ sæpe à misericordia superatur, &c. Resp. ad antecedentis prius membrum ejusque probationem, negando sequelam; hæc tantum sequela valet: si Deus peccatum necessario punit, sequitur quod istud non remittat sine satisfactione, sic concedimus totum argumentum. Sed hoc modo non tollitur potissimum benignitatis divinæ effectus: nam si satisfactio, ob certas circumstantias, ita se habet, ut à Deo possit accipi ac non accipi, sine ea vero peccata nunquam expientur; item si Deus ipse ad ejusmodi satisfactionem reos gratiose ita deducat, ut sine hac deductione nunquam huc deveniant, sed pessum ire necessum habeant; nil obstat quo minus manere possit potissimum ille benignitatis divinæ effectus: nempe quoad omne gratiosum quod, ad abolitionem peccatorum faciens, hoc loco intercedit, dici ac esse potest remissio peccatorum gratiosa; sicut & quicquid intercedit satisfactionis justitiam vindicativam exhibet. Atque h. m. patet etiam resp. ad alterum membrum, ubi elucescit, quod infinita Dei sapientia temperamentum istiusmodi justitiæ ac misericordiæ inveniens omne asystaton tollat.



§. 27. Cæterum necessaria ac naturalis Dei iustitia ita probatur: Si Deus necessario vult & potest punire peccata, sequitur quod & necessario puniat: Verum prius, ergo posterius. Prius probatur (1) quia Deus, ut omnipotens omnium Dominus, summa puniendi potentia ac potestate pollet, unde necessario potest punire (2) quia peccata necessario odit, unde necessario vult per pœnam abolita. Dicit quis cùm Vorst. in amic. Coll. sect. 59. v. Fateor Deum ex naturali iustitia sua peccata necessario odisse, postquam videlicet peccata re ipsa jam existunt &c. sed si Deus impedire peccata voluisset (quod profecto absolute loquendo facile potuisset) tum nullus actuali ipsius odio locus unquam fuisset. Ut quidem ab eterno nullus revera fuit: cum objecto non existente, nullus circa ipsum actus exerceri revera unquam possit. Resp. Si Deo necessarium peccatorum odium tribuimus necessitatem opponimus libertati, ut vi odii necessarii, positus omnibus ad puniendum prærequisitis, i.e.posito peccato nondum ex piato, Deus non possit non punire; hæc igitur necessitas pœnæ supponit existentiam peccati. Otellius quidem in ultimis verbis citatis c. 30. videtur distinguere odium peccatoris ab odio pravi seu peccati, sed eod. cap. p. 310. Impios, ait, & qua impii sunt odit Deus, quod odium ab ipso impieratis odio reapse nihil differt; & quia impii sunt ideo ipsas eorum personas odit eatenus, quatenus eas perdit. accipit. Et si enim impii, qua Dei creaturae sunt, boni sint ac proin Deo non modo non displiceant, sed & placeant: tamen amor erga impios, qua Dei creaturae sunt, odio eorum, qua impii sunt, adeo cedit, ut eorum etiam personas propterea sublatas ac perditas velit, qua in re odium adversus ipsos consensit. Paulo post: Quemadmodum autem ab ira quodammodo incipit odium illud quod personas ipsas petit; ita in iram redire exireque solet ac non nisi supplicio eorum expiari, qui id provocaverint & nisi eorum mutatione ac respicientia placetur. Ultima quidem verba innuunt hic mutationem ac respicientiam operari remissionem peccatorum, sed respicientia seu vita bona, quæ post peccatum geritur, debetur, si vel non peccatum fuisset; & licet per respicientiam simul contritio notetur, quo pacto tamen contritio non nisi ratihabitionem peccatorum, neutiquam vero offensam infinitæ


Ma-

Majest. tollat, abunde ostensum est à Noltris. Vid. Musæus in Diss. contra Ed. Herb de Cherb. Unde restat necessitas satisfactionis. Huc faciunt Verba Crellii l. c. p. 309. *Nihil est, aientis, quod Deus per se abominetur præter peccatum, propter peccatum etiam abominatur peccati autores, eos præsertim qui in eo contumaciter perseverant.* Quodsi igitur peccatores propter peccatum odit, peccatum vero per se odit, peccatores quoque ut tales per se odit: cum vero odium in hoc consistat (ut patet ex Crellii verbis paulo ante cit.) ut peccantium personas sublatas ac perditas velit, patet quod peccatores per se ac necessario punire velit; nam quæ præsertim de *contumaciter perseverantibus* ultimo subicit, ad ea jam ante responsum est.

§. 26. *Tandem, dum misericordiam infinitam ac Deo naturalem negant Smalcus contra Franzium. Socin. 1. de serv. Christ. & Cath. Raccov. p. 264. sequente argumento: Misericordia Dei infinita ac essentialis miseretur semper & omnium, remittendo peccata: sed Dei misericordia non miseretur semper & omnium remittendo peccata, ergo misericordia Dei non est misericordia Dei infinita ac essentialis:* Resp. negando majorem: nam misericordia Dei notat (1) ipsam Dei essentiam, est enim misericordia in Deo, & quicquid est in Deo est ipse Deus, unde cum Dei essentia sit infinita & Deo naturalis, patet quod & Dei misericordia hoc pacto sit infinita & Deo naturalis (2) connotat relationem ad juvandum miseros, tanquam actum per quem misericordia sese exercit; sicut autem à negato actu ad negatam potentiam non valet consequentia; ita à negato exercitio alicujus perfectionis Divinæ semper & ubique factio ad negationem ipsius perfectionis in se infinitæ ac essentialis itidem non valet consequentia.

§. 27. Atque sic potissimis *Socinianorum* strophis, bono cum Deo, excussis, cessamus, celebrantes verum Deum, *ex lumine naturæ ac scripturæ notum, simplicissimum, infinitum, immensum, omnipresentem, omnipotentem, æternum, omniscium, justissimum, ac summè misericordem.*

F I N I S.





21

B. V.  
 TATIO  
 E  
 RIBUS  
 NORUM  
 tra  
 NATURALEM,  
 am  
 EMIAE MAGNIFI-  
 SSIMO,  
 ENTUTIS PRINCIPE  
 C  
 ENSIS HEREDE,  
 I N O  
 HENRICO,  
 E, CLIVIAE, MONTIUM,  
 HALIAEQUE &c. &c.  
 IDE  
 O Gungershausen/  
 D.  
 in disquisitioni  
 A SALANA T154  
 et  
 IDENS  
 mmer / Honratho. Montanus.  
 Anno 1703:  
 WERTHERIANIS.

